



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Quemadmodum etiam legiones gentiles in dominicis precari mandauerit.  
Cap. XIX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

EVSEBII DE VITA

*Quemadmodum etiam legiones gentiles in dominicis precari mandauerit.*

CAP. XIX.

**C**umq; hunc salutarem diem, quem lucis vel solis diem appellamus, vniuersum exercitum omni studio colere docuisset: hiis qui diuino instinctu fidem sequuti erant, ocium fecit, vt libere possint ecclesiam Dei frequentare: quò sine vllò impedimento preces Deo persolueret: Sed aliis qui nondum diuinam degustarant doctrinam, alia quadam lege mandauit, vt Dominicis diebus in patentes suburbiorum campos exirent: atque vt ibi eadem precationis forma, dato ab vno aliquo signo, omnes simul ad Deum vterentur. Non enim oportere aiebat hastis vti: & rerum suarum spem in armis aut corporum viribus ponere: sed vniuersitatis Deum rerum omnium bonarum & ipsius victoriæ authorem agnoscere. Cui oporteret panis in calum manibus: & sublatis altissimè ad cælestem regem mentis oculis constitutas preces reddere: & illum victoriæ largitorem, & conseruatorem, custodem, nobis adiutoremque precibus imploremus. Formulam vero precandi ipse omnibus militibus præscripsit: mandauitq; vt Romana lingua ita omnes precarentur.

*Precationis formulæ legionibus à Constantino data.*

CAP. XX.

**T**E solum Deum agnoscimus: te Regem profitemur: te adiutorem inuocamus: per te victorias consequuti sumus: per te hostes superauimus: abs te & præsentem felicitatem cõsequutos fatemur, & futuram adepturos speramus: tui omnes supplices sumus: abs te petimus, vt Constantinum imperatorem nostrum vna cum piis eius liberis, quàm diutissime nobis saluum & victorem conserues. Eiusmodi ferè sanciebat à militibus, solis die fieri, talesque ab eis voces in diuinis precibus adhiberi.

*Legionum arma consignata signaculo crucis*

*Seruatoris. CAP. XXI.*

**P**ræterea etiam in ipsis armis salutaris trophæi signum insculpi armatoque exercitui præferri fecit: & vt solum hoc